28 A n° 2

S. P.

Vix a me discesseras, Barlæe doctiss., cum oblatâ scribendi occasione, manum calamo admovi, et parum tui memores Britannos quâ decere visum est comi severitate compellavi, ut scilicet quæ inter illum Regem et Remp. nostram super Iure Legationis nata contentio esset, privato saltem tibi non obstaret, cui cum Republica nihil commune esse, nisi quod in persona Regis publicè de omni gente meritus es. cuius ut illi literarum acerrimi vindices ac patroni, tam subito non recordarentur, fieri id, meâ opinione, per Musas non posse. Quicunque tandem rei futurus est eventus, nolui vel ambigere te quicquid mihi cumque iis amicorum sint; ut si forte opinionem meam Angli eluserint, quod vix est ut metuam, eam certè quam de amicitia mea concepisti et concipio, nunquam caussa sit cur amittas. Addo huic epistolæ Italiam et Germaniam meam; id est exiguam earum partem, qualem olim dum negotium publicè tene- mihi commissum festinanter lustrare contigit. Addit nunc demum ad me libellus iste,

à manibus magnorum virorum, qui ut meâ impensâ
domi peregrinarentur sua quidam interesse crediderunt,
curiosi utique non locorum quae adiicimus, sed eorum maxime
rerum quae ab illo virtuum aulicorum et Politicorum
peritiss.o Legat. (Aerssenio) publice ubique circa
occursum virorum Principum et cetera huiusmodi
~~alia~~ receptionum solemnia gesta fuerint. Te fortasse
regionum, viarum, oppidorum historia magis afficiet.
Me iucundissimi itineris tanto magis meminisse
iuvabit, si post innumeros alios, unicam in eo
paginam reddidisse te videro cuius gratiâ totum
percurrisse non poeniteat. Vale et me
ama. Hag. A° Junij CIƆIƆCXXVII.
VII

Tui amantiss.us

Huygens.

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
28A02
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/355